

DE ADMIRABILI PERSONAE HUMANAEC DIVINA VOCATIONE ET
ORDINATIONE.

(Textus propositus a R.P. H. LIO O.F.M.)

enunciadas

1. [Introductio]. Universitatis rerum omnium Conditor Deus est qui omnia sapientissime disposuit [cf. Sap. 11, 21] et homini dignam atque aeternam donavit exsistentiam, vocationem et ordinationem. Est igitur Deus totius vitae humanae, religiosae et moralis, individualis 5 et socialis ultimum fundamentum ab omnibus, sive simplici ratione naturali sive fide supernaturali, profitendum. Quare omnis atheismi species, divinaeque in mundo actualis actionis vel Providentiae negatio, non solum offendit ipsum Deum, sed etiam personae humanae, in sua ipsa natura et ordinatione, radicaliter contradicit: est enim Deus prima et ultima causa omnium, aeterna lux veritatis, fons "bibendae felicitatis".

2. [Dignitas naturalis et suprenaturalis personae humanae]. Ipsa 15 igitur dignitas personae humanae, in tota sua latitudine ex Deo, in Deo et ad Deum est. Humanae enim personae dignitas in eo sita est quod homo ad imaginem et similitudinem Dei creatus, et natura sua immediate ad Creatorem ordinatus et aliis consociatus, rationis lumen, liberae electionis potestatem, amoris flammarum, rerumque corporalium dominium a Deo accepit. Atque ita homo universitatis rerum visibilium caput et corona [cf. Ps. 8, 6-9] tanta divina ordinatione dignus 20 esse potest et debet in tota sua activitate. Immo consors divinae naturae [cf. 2 Pt. 1, 4] factus, vocatur ad eam participationem filiationis divinae Christi, qua et nos filii Dei nominamur et sumus [cf. 1 Io. 3, 1]. Haec autem humanae personae dignitas tum verbo Dei proclamatur, tum legibus et mediis etiam supernaturalibus munitur; et 25 non pure splendet plene et perfecte, nisi in iis, qui fide, spe et caritate atque filiali oboedientia Deo Deique legatis sese subiiciunt. Deo enim servire regnare est. Haec autem dignitas personae humanae, sive naturalis sive supernaturalis, una et immutabilis est in suis essentialibus elementis. Unus enim est Deus, una veritas, una lex, una 30 gratia, unus finis, quaecumque sint differentiae sive sexus, sive aetatis, sive stirpis, sive linguae. Quare S. Synodus, agnoscens et promovens differentias inter personas et populos, quae sunt secundum ordinationem divinam, improbat praxim et doctrinas racisticas, quae fundamentalia iura aequalitatis et unitatis personae humanae et populum negant vel de facto violent. Insuper persona humana sacra et inviolabilis est in suis iuribus quibus humana vita, vocatio et dignitas, sive naturalis sive supernaturalis, sustinetur et promovetur.

35 40 [Donum libertatis]. Essentialis et fundamentalis est, pro dignitate humana, libertas eiusque rectus usus. Quare arbitrii libertatem Ecclesia catholica, inde a suis exordiis, firmiter vindicavit.

Est enim libertas donum Dei pretiosum, quo persona humana uti debet ad bonum, non vero ad malum. Per huius enim libertatis ad malum usum, peccatum intravit in mundum: "Per unius enim delictum, ait Apostolus, in omnes homines in condemnationem" [Rom. 5, 18]. Est enim dogma fidei exsistentia peccati originalis in omnes homines transmissum, ut docet Apostolus [Rom. 5, 12-19] et ut declaravit Concilium Tridentinum; hoc peccato persona humana privata fuit iustitiae originalis dono et multa alia dona et bona amisit; immo in seipsa in deterius mutata est. Peccato tamen originali non obstante, homo non solum vocatus et ordinatus remansit ad suum finem, sed etiam in sua libertate exstitit. Nam, ut docet Concilium Tridentinum, in hominibus liberum arbitrium minime extinctum est, licet attenuatum et inclinatum [Conc. Trid.]. Quare, etiam in praesentibus, persona humana in ordinariis adiunctis, quamvis influxibus corporalibus, psychicis, socialibus affici possit, tamen ab eis ita determinari non est dicenda, ut non maneat revera domina suorum actuum; et ideo de eis respondere debet. Servat igitur et promoveat persona humana suae libertatis rectum usum, quo Dei ipsius imago et gloria affirmatur et manifestatur in mundo, ipsa persona humana in sua vera dignitate firmatur et promovetur, ad aeternam suam salutem libere consequendam in Christo [cf. Gal. 4, 31].

4. [Mysterium nostrae salutis]. Ordinis enim universalis et personae humanae restauratio per Christum, Filium Dei, facta est; ita ut quod in Vetere Adam perierat in Christo mirabilius restauraretur. Est autem mysterium elevationis supernaturalis et nostrae salutis infinitum caritatis Dei donum, gratuitum et supernaturale at personae humanae mire conveniens; quo dono persona humana non solum intrinsece roborata fuit in suis valoribus naturalibus et in sua ipsa libertate, sed etiam vim et media omnia apta obtinuit ad suum unicum finem obtinendum. Qui finis est ipsa aeterna in Deo beatitudo, post unicam ex hac vita migrationem, purificatis animabus, in caelesti Ierusalem ad futura. Morte vero destructa per resurrectionem carnis [cf. 1 Cor. 15, 26], in consummatione saeculi per adventum Christi etiam corpus plena donabitur immortalitate. Urgens ergo semper est pro omnibus hominibus haec aeterna vocatio et finis totius propriae vitae. Nam si eum finem persona humana non attingat nihil ei prodest plurimum naturae bonis affluxisse [cf. Mt. 16, 26]. Necessaria autem sunt ad hunc finem opera bona, in hac vita, in gratia operanda. Ergo, "dum tempus habemus operemur bonum" [cf. Gal. 6, 7].

5. [Exsistentia et natura ordinis moralis]. Exsistit enim ordinatio divina, qua homo in hac vita discernere potest quid sit revera honestum quid dishonestum, ut maneat in sua vocatione et perveniat ad suum finem. Exsistit enim ordo moralis, naturaliter et supernaturaliter manifestatus et propriis mediis instructus, ultimatum fundatus in Deo, infinite sapienti et infinite sancto, proxime vero fundatus in ipso esse naturali et supernaturali personae humanae. Ordo igitur moralis, in suis elementis divinitus constitutis, non est mutabile hominum in-

5 ventum vel figmentum, sed reapse exsistit et urget, sicut exsistit et urget ratio et voluntas Dei. Insuper idem ordo moralis, in illis quae Deus infinite sapiens et bonus ita disposuit, est etiam absolutus, seu perenniter valitus et non dependens a mera et contingentia hominum sola intentione vel a solis circumstantiarum conditionibus.

10 Totus autem ordo moralis ad hoc plene tendit ut ipsa persona humana, etiam in hac vita, sit bona et perfecta sicut ipse Deus bonus et perfectus est [cf. Mt. 5, 48]. Nam omnes Deus vocat ad sanctitatem [cf. 1 Thess. 4, 34]; et ideo etiam consilia et perfectiora pertinent ad ordinem moralem, in quo primatum sub omni aspectu tenet Christus.

15 6. [Ordo et gratia Christi]. Christus enim, qui hominem reparavit, est etiam novus Legifer ordinis moralis, quem confirmavit, explicavit, restauravit, complevit, elevavit. Ideo ordo moralis totus et necessario est christianus. Ipsa igitur lex naturalis, quae in suis universalissimis principiis, ab omnibus, nisi obcaecati sint corde, cognoscitur, non est destructa a Christo, sed valorem integrum retinuit et ad altiorem finem evecta est in ordine redemptionis. In ordine morali christiano igitur suprema et naturalia vitae moralis principia sunt velut indelebile et pretiosum generis humani patrimonium, in quo omnes homines bonae voluntatis convenire possunt et debent. Docuit autem Christus: "Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. Hoc est maximum et primum mandatum. Secundum est simile huic: Diliges proximum tuum, sicut te ipsum. In his duobus mandatis universa lex pendet et prophetae" [Mt. 22, 36].

20 25 Lex igitur caritatis christiana divinum habet primatum in ordine morali sive individuali sive sociali. Merito Apostolus caritatis supra alias virtutes celebravit excellentiam [cf. 1 Cor. 13, 1 ss.]. Proprie autem quia primatum habet caritas supponit et superat existentiam et impletionem aliorum mandatorum. Denique Christus gratia sua communivit totius ordinis adimptionem. Nam sine Ipso nihil facere potest persona humana [cf. Io. 15, 5]. Gratia Christi qua persona humana mysteriose pervaditur est necessaria non solum ad totum ordinem moralem servandum; sed etiam ad merendum et ad suum finem supernaturalem effective consequendum. Ideo non gloriamur indebite in operibus nostris [cf. Rom. 9, 16]. Ex altera parte fiduciam habere debemus in Christo Iesu "cuius mandata gravia non sunt" [1 Io. 5, 3], cuius "iugum suave et onus leve" [cf. Mt. 11, 30]. Immo ipse Christus factus est "Via, Veritas et Vita", exemplar omnium. Oportet igitur ut unusquisque non solum in Christo renascatur, sed etiam ut secundum hanc christianam dignitatem agat [cf. S. Leo M.]; et, pro humana possibilitate, perfectissimum Christum imitetur, ut magis magisque conformis fiat imagini Filii Dei [cf. Rom. 8, 29].

30 35 40 45 7. [Conscientia moralis]. Haec conformitas voluntati Dei et Unigenito Suo, personalis et interior fit conscientia morali. Ipse enim ordo moralis christianus exigit, ut persona humana agat secundum sua certae conscientiae dictamina circa honestatem moralem propriae actionis

nis. Tantus autem est valor obiectivus ordinis moralis, ut hoc principium valeat, etiam cum quis invincibiliter subiective circa legem erret. Unusquisque tamen, pro sua possibilitate, tenetur efformare recte suam conscientiam in dependentia a veritate et a lege. Nam hoc est proprium munus conscientiae moralis manifestare scilicet agenti legem iuxta quam operari possit vel debeat. Omne igitur quod non est ex fide, id est ex conscientia, peccatum est [cf. Rom. 14, 23]. Si autem haec violatio fuerit in re gravi, sive ex malitia sive ex debilitate, semper tamen cum sufficienti deliberatione, graviter persona humana offendit Deum. Sed etiam post peccatum munus conscientiae moralis est non destruere rectum sensum culpe, sed ipsam culpam potius humiliter recte agnoscere et sincere fidenterque de ea poenitentiam agere; "quoniam si reprehenderet nos cor nostrum: maior est Deus corde nostro" [1 Io. 3, 20].

15 8. [Ecclesiae munus]. Revelationis christiana pars integralis sunt igitur etiam veritates, quae dignitatem naturalem et supernaturalem, necnon ordinationem et vocationem personae humanae patefaciunt, inclusis igitur veritatibus ordinis moralis naturalis. Quas veritates omnes Christus concredidit Ecclesiae suae docenti, ut illas, etiam hodie, cum assistentia Spiritus Sui, fideliter custodiret, recte explicaret, sancteque applicaret secundum extensionem totius ordinis moralis, sive individualis sive socialis; non solum in praemissis universalibus fundamentis, sed etiam in particularibus aspectibus et quaestionibus, quibus persona humana, vivens in hoc saeculo, concrete afficitur in vita sociali, in vita coniugali et familiari, in campo culturae, oeconomiae et relationum inter gentes.

[N.B.: Sic fit transitus ad alia capita].

Nota explicativa: Haec nova redactio prae oculis habuit sive Animadversiones factas a Card. SUENENS in Commissione de laboribus coordinandis, sive Animadversiones scriptas ab Exc.mo HENGSBACH, sive Animadversiones oraliter dictas in conventu ultimo ab Em.mo Card. BROWNE, necnon Animadversiones ab aliis in eodem conventu dictas.

a) Card. SUENENS inter alia animadvertisit, quod materia primi Cap. esset nimis "fragmentaria" et quod praesertim "in primis numeris ubi agitur de fundamento dignitatis personae adsunt etiam repetitiones inutiles". Ideo in nova redactione cautum fuit ut magis unita appareret materia et quod viterentur repetitiones. Insuper Card. SUENENS animadvertisit quod "non placet quod mentio libertatis humanae in fine tantum schematis appareat". Ideo in nova redactione provisum fuit ut in tertio punto magis evidenter et clare appareret donum libertatis humanae. Insuper idem Card. SUENENS vult ut explicite dicatur "de convenientia positiva gratiae supernaturalis ad naturam". Et ideo hoc explicite dictum fuit in num. 4 ubi de "mysterio nostrae salutis" agitur. Insuper vult Em.mus ut expresse dicatur etiam in primo Cap. de "inviolabilitate personae humanae et ius eius sacrum ad vitam"; et ideo expresse hoc proclamatur in fine num. 2. Voluit etiam ut "doctrina de conformitate hominis elevati ad imaginem Filii incarnati magis elaboretur": unde aliqua addita sunt in fine praesertim ubi de Christo et ordine moralis [num. 6].

b) Card. BROWNE expressit quod necessarium sit bene determinare in quo proprie consistat dignitas personae humanae: hoc factum est in n. 2.

c) Exc.mus HENGSBACH ex novo in sua redactione adiunxerat considerationem ad influxum elementorum variorum in libertatem: et hoc receptum fuit in n. 3. Insuper voluerat expressa mentio de cognitione vel minus principiorum legis naturalis: et hoc receptum fuit in n. 6.

d) Item aliorum Animadversiones in quantum possibile receptae fuerunt.